

quæ Gennadius tribuit Nicææ seu Nicetæ episcopo civitatis Romatianæ, ab eruditis communi prope calculo tributa fuerunt Nicææ seu Nicetæ alteri, qui quarto desinente et quinto ineunte sæculo inter Dacorum barbaram gentem episcopus fuit, quique nobis præcipue ex Paulini Nolani, cujus erat amicissimus, testimoniis innotuit: et Romatiana Gennadii aliorumque civitas ab iis habita illa fuit, quæ in nova Dacia mediterranea cis Danubium sita ab antiquis geographis atque scriptoribus, voce parum ab ea dissimili quam Gennadius usurpavit, Remesiana, aut Romesiana, sive Remissiana appellatur. Quid plura? Ut prodiit Patavini seminarii typis anno 1799 noviter detectum Nicetæ opusculum, et ab ipso Gennadio in Romatiano suo episcopo memoratum, quod est *de Symbolo*, seu *Explanatio symboli habita ad Competentes*; ut prodiit, inquam, hoc opusculum sub nomine beati Nicetæ, episcopi Aquileiensis, prout Ghisianus ferebat codex, clarissimus Michael Denis, qui tunc Nicetæ fragmenta ex alio Vindobonensi codice eruebat, scribere non dubitavit se consentire non posse in *τὸ Aquileiensis*, illudque in Ghisiano, Codice certo *σφάλμα* esse, scribendumque fuisse aut *Daciæ*, aut *civitatis Romatianæ* cum Gennadio, aut *Romesianæ* cum Tabula Peutingeriana, aut *Ῥημισιάνης τῆς Δακίας* cum actione primi concilii Chalcedonensis tomo IV Conciliorum Labbei editionis Venetæ col. 892, ut videre est vol. II, parte III, pag. 2041, operis illius, cui titulus: *Codices mss. theologici bibliothecæ Palatinæ Vindobonensis Latini, aliarumque Occidentis linguarum. Recensuit Michael Vindobonæ anno 1802.* Neque id satis. Paulo namque post vir præclarus inter nostrates Joannes Prosdocimus Zabeus sacræ theologiæ doctor, et in regio tunc Venetiarum gymnasio nunc vero in regio ibidem lyceo professor, quin adhuc quidquam roscivisset de iudicio Michaelis Denis, sponte sua in ejusdem sententiam ivit, pro qua etiam dissertationem eruditissimam exaravit, ac Venetis typis Antonii Rosa anno 1803 publici juris fecit, hoc eidem appposito titulo: *Explanationem Symboli, quæ prodiit Patavii anno MDCXCIX, tribuendam probabilius esse sancto Nicææ Dacorum episcopo, quam beato Nicetæ episcopo Aquileiensi, Dissertatio.* Vides igitur, optime lector, quantam rem aggressi fuerimus; vides quot qualesque adversarios, tum nostræ, tum superioris ætatis, impetere necessario opus fuerit, dum propositum esset pro Nicæa seu Niceta nostro Aquileiensi scribere, et ita in eodem novum quodammodo statuere quinti sæculi scriptorem et Patrem ex operibus quæ alteri, longeque ad his regionibus po-

sito, communiter tribuebantur. Multa propterea dicere necesse erat, sive quæ novam opinionem tue-
rentur, sive quæ veterem infirmarent, multis occurrere tenebamur difficultatibus veterum eruditorum, atque iis maxime, quæ nuperrime, una simul cum suis de novo excogitatis, veluti momenta solidissima opinionis quam tuebatur, congegit Zabeus in citata dissertatione paginarum *LI* in forma quarti, uti aiunt; neque interim peculiaris aliqua Michaelis Denis animadversio deserenda erat, quæ solidissima videri facile potuisset. Quid vero si perpendamus, argumentum hoc, ex inopia veterum monumentorum, atque ex defectu enuntiationum quæ claræ sint atque dilucidæ, veluti suapte natura patere potissimum conjecturis; de quibus cum sermo est, proluxa oratio sit oportet? Atque hæc de causa præcipua cur opus hoc nostrum discretæ brevitatis modum quodammodo superaverit.

Sunt tamen et alia, quæ nos ad laxandas veluti habenas currenti calamo impulerunt. Nonnulla namque variæ eruditionis capita occurrebant, quæ etiam non penitus nova, novam tamen, ratione rei nostræ, non respuerent illustrationem, quam legentibus putarem fortasse non injucundam. Nova etiam quedam sese obtulere, quæ merebantur ex integro pertractari, ut proposito fieret satis. Res ipsæ Aquileienses, tum quæ Ecclesiam respicerent, tum quæ civitatem et agrum, non uno in loco diligentiam nostram excitabant; utpote quæ aliæ ad rem nostram spectarent, aliæ eandem proxime attingerent, aliæ demum aut novam aut uberiolem requirerent disquisitionem. Præterea Nicææ seu Nicetæ nostri opuscula atque fragmenta, locuples sunt Thesaurus Eruditionis Ecclesiasticæ, quo dogmata religionis præcipua asseruntur, quo morum præcepta traduntur atque inculcantur, quo pleraque disciplinæ capita illustrantur. Quis autem hæc in quinti sæculi scriptore ac Patre non perpendenda singillatim susciperet, dum de eo agere ex instituto deberet, atque ea edere quæ scripta reliquit? Neque minoris profecto habenda erant quæ Nicetam ipsum respiciunt, nomen, genus, patria, ætas, res gestæ, scripta quæ exstant, quæque desiderantur, et alia quæ ipsum attingunt; sanctitas quoque, ac cultus; necnon et Doctrinæ integritas in quibusdam dicendi modis, qui fortasse movere aliquem possent. Habes igitur, optime lector, unde voluminis molem, etiam in exiguo sacro penu quod exhibet, non molesto animo feras: habes etiam unde *Dissertationis* nostræ gravitatem simul et materiam veluti ex limine intuearis: nunc singula, pro humanitate tua, benigne lustrato.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA IN S. NICETAM,

AUCTORE SCHOENEMANNO.

(Ex Schœn. Biblioth. Hist.-litt. Patr. Lat. tom. II.)

§ I. Vita.

Ita recte scribi videtur nomen episcopi illius Romaniani, qui Nicæa audit a Gennadio (a). Gente Dacus fuit et in patria Romatianæ civitatis episcopus. pene mss. nomina, *Nicæas, Niceas, Nicetas, Nice-*

matiani, qui Nicæa audit a Gennadio (a). Gente Dacus fuit et in patria Romatianæ civitatis episcopus. pene mss. nomina, *Nicæas, Niceas, Nicetas, Nice-*

Ex Paulino Nolanonovimus, eum, cum in itinere in Italiam facto Romam transisset, multorum in seibi admirationem traxisse, Tum vero etiam (quod a. 398 accidit) Nolam accessit et ad sepulcrum S. Felicis se contulit, in visitaque Paulinum et in ejus animum sane candidissimum adeo sese insinuavit, ut ille reditum ejus in Daciam singulari poemate nunc quoque superstiti prosequeretur, quod late insignes mentis atque animi ipsius dotes explicat imprimisque eum ab ardore in predicando per barbaras, quae Daciam obtinebant, gentes Evangelio extollit. Neque poterat Nicetas non concedere amicis precibus, quo minus in secundo suo ad istas terras accessu (a. 402) apud ipsum iterum subisteret. Ex Innocentii I epistolis patet, eum a. 414 adhuc in vivis fuisse (a) Cæterum memoriam ejus valde conturbavit Baronius, diversum censens Nicetam Dacum, cujus mentio fit in Martyrologio Romano ad diem 7 Januarii, a Niceta Gennadii Romatiansæ civitatis episcopo, cujus depositio notatur ad diem 23 junii, hunc vero eundem esse ratus cum Niceta Hypodiacono Aquileiensi, qui a. 456 litteras a Leone M. accepit, per grande temporis intervallum scilicet ab isto officio ad episcopi dignitatem evecto. Quem in rem mirifice se torsit, ut Romatiansæ civitatis nomine Aquileiam appellatam esse demonstraret. Sed hæc omnia vana esse dudum viri docti animadverterunt, quorum accurata exploratione tantum jam effectum est, ut Romatianam civitatem in Dacia Mediterranea seu Mœsia, inter Naissum et Sardiam quaerendam, et Nicetam Romatianum in Dacia natum, non quæ fuerat media Tillemontii sententia, ex Aquileiesi clero ad illius civitatis episcopatum evocatum fuisse, teneamus (b).

§ II. Scripta.

Composuit teste Gennadio simplici et nitido sermone *competentibus ad Baptismum instructionis libellos sex et ad lapsam virginem libellum: pente omnibus labentibus incentivum*. Illi deperditi sunt et solummodo ex argumentis a Gennadio indicatis noscuntur. Hinc superesse putant inter Ambrosii et Hieronymi opera. Nimirum inter epistolas Hieronymi una occurrit titulo *Objurgationis ad Susannam lapsam*, manifesto spuria; nam ab episcopo compositam esse apparet, quam dignitatem Hieronymus numquam assecutus est. Eadem vero inter Ambrosiana reperitur sub nomine *Tractatus ad virginem lapsam*, eique cum propter orationis discrepantiam, tum ob sensus, rigore suo prope ad Novatianam hæresim, quam ille

tus et Nicetius. Interim Daci episcopi nomen frequentius *Nicetas* et *Nicetius* exhibent, sicut Hypodiaconus Aquileis constantissime *Niceas* appellatur. Apud Gennadium etiam in *admirando codice ad S. Andream de Valle Nicetam non Niceam scribi* testatur Holstenius in Notis posthumis ad Martyrologium Romanum apud Florentinum et Bollandi continuatores, laudante Rubæo.

(a) Scilicet non solum in ep. ad Marcianum Naissitanum d. Ravennæ a. 409, ut Tillemontius judicat de eo tamquam vivente loquitur (ubi Cf. *Constant*, apud quem exstat n. xvi, pag. 822), sed etiam inter episcopos Macedones recensetur in inscriptione epistolæ

in libris de Pœnitentia impugnavit, accedentes, non majori jure competere dudum inter eruditos operum ejus censors creditum est. Hic quoque Bellarminus, Possevinus, Rivetus et sequiores hujus generis scriptores concinunt. Nicetas primus, ni fallor, tribuit Joannes Baptista Cotelerius (c), a quo nemo deinceps præter laudatos Maurinos Patres dissensit. Hi vero, ut Ambrosio vindicarent, argumenta hæc in medium adduxerunt: scilicet, ut hæresis notam averterent, locutiones, quæ in illo occurrunt duriores, non alio consilio aiunt esse adhibitas, quam ut majorem commissi propudii horrorem incutientes, acrius ad pœnitentiæ opera fontem excitarent, efficerentque ne vel propria molliæ, vel remissionis cujuspiam doctoris indulgentia, quandoque ab austeritate semel suscepta revocaretur. Ita vero auctorem ipsam ad pœnitentiam publicam stimulasse, ut simul æternas penas exitandi spe sublevaret. Quibus addunt, fuisse quondam Ecclesiam morem, ut atrocium quorundam criminum reis ne in morte quidem veniam et reconciliationem concederent: proindeque Auctorem inter eas crimina et hoc Susannæ flagitium sine ulla erroris nota referre potuisse. Stylum non cedunt non omnino Ambrosianum esse, nam sanctum presulem etiam ubi orationem adhibeat maxime concitatam, minus densis ac brevibus incisive uti. Tum judicant sententiam quamdam, quam Rob. Cocus in *Censuras* sua tanquam doctrinæ Christianæ e diametro adversam objecerat, iisdem pene verbis in libro de Virginitate legi. Porro, quod Nicetas tribuatur similis argumenti epistola, nihil referre putant; potuisse enim perque Ambrosio occasionem illius scribendi nasci, sicut et Basilii extat epistola ejusdem materis et epigraphæ, et si apud ipsam Ambrosium virgo Indicia falsi criminis accusari potuerit, juxta epistolam ad Syagrium, potuisse et aliam veri: denique omnes in Ambrosii nomine convenire libros mss. præter unum recentiorem, qui Joanni Chrysostomo tribuerit. Hisce igitur rationibus inducti inter genuinos Ambrosii fetus reliquerunt, et licet improbaverint Tillemontius et Vallarsius, non video tamen, novi quidquam momenti ab his contra allatum esse.

§ III. Editiones.

Dictum est a nobis, inter Hieronymiana æque ac Ambrosii opera hoc opusculum legi. Sed quoniam in diversis sæpe diversarum editionum tomis deprehenditur, lectoribus ejus curiosis indicio aliquo subvenire

17, a. 414, juxta *Constantium* pag. 333.

(b) Inter hos numerandi sunt Holstenius in l. 1., Quænellus ad Leonis M. Epistolam 79, Tillemontius in *Memoriis* tomo X, pag. 621 seqq., et novissime Rubæus in *Monum. Eccl. Aquilei.* c. 17, pag. 151 seqq. Illis tamen insuper habitis Baronii sententiam amplexus est et in *Commentarios* suos nude transcripsit Oudinus tom. 1, pag. 1249 seqq.

(c) In notis ad Constitutiones Apostolorum lib. 11, c. 57. In novissima PP. Apostolicorum ed. Jo. Clerici Amstelod. 1724; tom. 1, pag. 268, not. 14. Prima ed. prodierat Parisiis a. 1672.

studebimus. Id vero ante omnia animadverti velim, in Hieronymi editionibus initium esse a verbis *Puto levius esse crimen*, quæ cum sequentibus usque ad illa, *evaporans præstat refrigerium passioni*, in Ambrosianis deficiunt, ubi principium sonare solet, *Audite qui prope estis*. In editione Hieronymi *Erasmiana Bas.* 1516 exstat *tomo II, fol. 81-85*. « Dictu mirum est, scribit Erasmus, quam hic liber diversus habebatur in exemplaribus. Nec idem erat initium, et alia in aliis supererant aut deerant, tum pleraque diversa habebantur. Stylus palam arguit non esse Hieronymi, etiamsi non indignum censeam, qui legatur. Gustus phrasim non abhorret ab oratione divi Augustini. » In editione *secunda Frobeniana* a. 1537 exst. *tomo IV, pagg. 139-143*; in edit. *Mariani Victorii Antuerpiensis impressionis* a. 1579, *tomo IX, pagg. 104-107*; *Parisini exemplaris*, a. 1609, *tomo IV, pagg. 865-874*; item a. 1643, *tomo IX, pagg. 88-91*; in his ommissa est censura Erasmi. In ed. *Francofurtana* a. 1643 legitur *tomo IV, pagg. 92-96*; in ed. *Benedictinorum Parisiis* 1706, *tomo V, pagg. 176-182*; in ed. *Vallarsii Veronæ* 1742, *tomo IX, pagg. 178-192*, et *Venetis* 1771, *tomo XI, part. II, pagg. 245-263*. Vallarsius auctorem scribi jubet Nicæam et eundem pu-

at cum Hypodiacono Aquileiensi, qui cum familiaris Hieronymi fuerit, facile accidere potuisse ut liber ejus locum inter Hieronymianas scriptiones invenire, sicuti Ambrosio ob argumenti similitudinem, quod sæpius de Virginitate et Virginum institutione dispellet, videatur ascripta. Sed prior ratio, quam levius sit, nemo non intelligit, posterior æque in Hieronymum ac Ambrosium cadit. Cæterum in Vallarsiana editione diligentissime hic liber tractatus est, dijudicatis etiam Benedictinorum, Ambrosii editorum, variis lectionibus et observationibus.

In AMBROSII operum ed. *Basileensi*, (a. 1527) exstat *tomo I, pagg. 178-186*. Typographi errore caput ultimum, quod *consolationem lapsæ* continet, quasi novus libellus singulari titulo exscriptus est. Erasmus in brevi ad lectorem admonitione in adversa tituli pagina impressa declamationem esse, inquit, qualis illa Hieronymi de matre et filia reconciliandis, et inter Hieronymiana scribæ dolo, ne scilicet deprehenderetur, ab initio, juxta quam in medio et fine esse interpolatam. In *Sixtinæ* editionis exemplari *Parisienâ* a. 1603 legitur *tomo IV, pagg. 449-456*; in *Benedictina Parisiis* 1690, *tomo II, pagg. 301-320*, titulo *libri de Lapsu Virginis consecratæ*.

DE S. NICETA VETERUM TESTIMONIA.

S. LEONIS MAGNI *epistola ad Nicetam*.

Regressus ad nos, etc. (*Vide reliqua tomo nostro LIV, Epist. 159.*)

GENNADIUS MASSILIENSIS, *de Viris Illustribus* cap. 22.

Niceas, Romacianæ (a) civitatis episcopus, composuit simplici et nitido sermone competentibus ad baptismum instructionis libellos sex. In quibus continet primus, qualiter se debeant habere competentes qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire. Secundus est de gentilitatis erroribus: in quo dicit suo pene tempore Melodium (b) quemdam patrem familias ob liberalitatem, et Gadarium rusticum ob fortitudinem ab ethnicis esse inter deos translatos. Tertius liber de fide unice Majestis; quartus adversus Genethlogiam (c); quintus de Symbolo; sextus de agni Paschalis victima. Edidit et ad lapsam virginem libellum (d). pede omnibus labentibus emendationis incentivum. HONORIUS AUGUSTODUNENSIS *de Scriptoribus Ecclesiasticis* lib. II, cap. 22.

Niceas, Romacianæ civitatis episcopus, composuit simplici et nitido sermone sex competentibus ad baptismum instructionis libellos. Ex quibus primus est

(a) Al., *Romanæ*, perperam. In aliis invenire se *Romacianæ* testatus est Suffridus Petri.

(b) Corb. ms., *in quo pene tempus Meigidium quemdam patris familias... et Gadarium rusticum*, etc.

(c) Al., *Genethlogiam*. Nam in Corb. vitiose, *Genociam*.

(d) Id., *librum humane labentibus incentivum*.

(e) *Genethliologiam*.

(f) Immo, *Genethlogiam*, sive adversus Astrologos

C de competentibus baptismi; secundus de gentilitatis erroribus; tertius de fide unice Majestatis; quartus adversus Genealogiam (e); quintus de Symbolo; sextus de agni Paschalis victima. Condidit et ad lapsam virginem libellum pene omnibus labentibus emendationis incentivum.

JOANNES TRITHEMIUS *de Scriptoribus Ecclesiasticis* § 118.

Niceas, Romacianæ urbis episcopus, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, ingenio acutus, sermone apertus et nitidus, scripsit ad ædificationem legentium non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus subjecta feruntur: *Ad Competentes qui ad Baptismum disponuntur Præparatorium*, lib. I; *de Erroribus Gentilitatis* lib. I; *de Fide unice Majestatis* lib. I; *adversus Genealogiam* (f) lib. I; *de Symbolo quoque* lib. I; *de victima Agni Paschalis* lib. I; *ad Virginem lapsam* lib. I (g).

CASSIODORUS *de Institutione divinarum Scripturarum* cap. 16.

Si quis vero de Patre et Filio, et Spiritu sancto aliquid summatim præoptat attingere, nec se ma vult longa lectione fatigare, ligat Niceti (h) episcopi libellum Genethliacos.

(g) In volumine Operum Joannis Trithemii ex bibliotheca Marquardi Freheri, Francofurti typis Wecheliani 101 in fol., post ultimum opusculum *ad lapsam Virginem*, hæc habentur: *Et quædam alia. Claruit tempore Theodosii et Honorii principum anno 420.*

(h) Al., *Nicæi*.